



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 6. Vtrum matrimonium fidelium nondum consummatum, aliquando  
solui potest.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



DVBIVM VI.

*Vtrum matrimonium fidelium nondum consummatum, aliquando solui possit?*

98  
Sententia affirmans est de fide.

**R**espondeo & Dico Primò: Matrimonium fidelium nondum consummatu solui potest per professionem alterius coniugis in Religione approbata, quamuis alter repugnet. Est fide tenendum. Patet ex Concil. Trid. sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.* Est contra hereticos huius temporis, & Erasum, qui in Paraphrasi cap. 7. 1. ad Corinth. contrarium insinuat.

Canones,

Probatur Primò: Ex multis Canonibus antiquis. Cap. *Ex publico.* Cap. *Ex parte tua,* Alexandri III. Et Cap. *Verum,* Innocentij III. de *Conuersione coniugatarum.* & Cap. *Desponsatum* 27. q. 2. Eusebij, quibus locus id apertissime definitur.

Exempla Sanctorum,

Probatur Secundo: Exemplis Sanctorum, qui ante matrimonij consummationem coniuges seu sponfos suos reliquerunt, statum Religionis amplectentes. Sic fecit Thecla hortatu B. Pauli, teste Epiphanio heresi 78. Sic Macharius teste Hieronymo in eius vita. Sic Alexius teste Simeone Metaphraste. Sic duo milites prope Treuiros, lecta vita B. Antonij, relictiis sponfis suis ingressi sunt monasterium, teste D. Augustino lib. 8. Confessi. cap. 6. Sic plures alij.

Ratio congruentia,

Congruentia esse potest Primò: Quia sicut vinculum matrimonij consummati, eò quod sit carnale, soluitur per mortem naturalem; ita par erat, vt vinculum matrimonij rati, necdum consummati, cum sit spiritale, utpote solo consensu nascens, solui possit per mortem cuius: atqui professio Religionis est mors ciuilib; nam per illam amisit homo omnia iura ciuilia. Ita Durandus dist. 27. q. 2. Secundo: Nam rationi consentaneum est, vt liceat ad statum perfectionis transire, quando id sine vlla alterius iniuria fieri potest: atqui in matrimonio rato, necdum consummato, id fieri potest sine cuiusquam iniuria: ergo &c.

99  
Soluntur obiectio- nes.

Dices Primò: Hoc matrimonium est verum Sacramentum, significans Christi & Ecclesie vnionem: ergo est omnino insolubile. Patet consequentia: quia D. Augustinus passim hanc rationem insolubilitatis adferre solet.

Das requi- sita vt ma- trimonium sit omnino insolubile.

Respondeo: Quando matrimonium dicitur esse omnino insolubile, eò quod sit Sacramentum, intelligendum est de matrimonio consummato, hoc enim, dum Sacramentum est, nullo casu solui potest, nisi per mortem naturalem; vt infra. Itaque vt omnimodò sit insolubile, duo requiruntur. Primum, Vt sit *Consummatum.* Secundum, Vt sit *Sacramentum.* Quòd si non sit consummatu, potest solui per statum perfectionis, & fortassis etià alio modo. Si autem non sit Sacramentum, potest solui causa Religionis, quamuis sit consummatum.

Dices Secundo: Coniux post contractum non habet amplius sui corporis potestatem: ergo non potest illud alio transferre contra coniugis voluntatem.

Respondeo: Per contractum traditur potestas corporis vltro citroque, saluo iure diuinitus concesso, vel saltè dispensatione Apostolica, quo post initum coniugium, ante consummationem, potest vterque statum perfectionis eligere.

DVBIVM VII.

*Quo iure matrimonium ratum soluitur per professionem?*

**R**espondeo: Ommissis sententijs, probabilius videri non solui iure naturali, vel iure diuino positiuo, sed Apostolico seu Ecclesiastico. Ita Michaël Medina lib. 4. de *continentia sacrorum hominũ* c. 41. & 43. & alijs locis eiusdem Operis.

100  
Solutur iure Ecclesiastico,

Probatur Primò: Quia si iure naturali, vel diuino id fieret, etiam solueretur hoc matrimonium professione Religionis nõ approbata: quod tamẽ falsum esse patet tum ex vsu Ecclesie, tum ex communi Doctorum sententia, Maior probatur: quia Religio approbata, & non approbata nõ differunt iure diuino, vel naturali: ergo quod iure diuino vel naturali operatur Religio approbata, etiam operatur non approbata.

Probatur Secundo: Professio Religionis soluit matrimoniu ratum, quatenus est professio solemnis; vt omnes fatentur: atqui solemnitas professionis est ex constitutione Ecclesie; vt patet ex Bonifacio VIII. Capitulo vnico *De voto & voti redditione*, n. 6. & ex constitutione Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendite Domino*: ergo, quòd professio soluat matrimonium, est ex constitutione Ecclesie.

Olim etiã soluebat matrimonium per professionẽ Religionis non approbata.

Probatur Tertio: Ius naturale & diuinum non possunt per Ecclesiam mutari: atqui Ius illud, quòd professio Religionis irritat matrimoniu, est mutatum per Ecclesiam: ergo nõ est Ius naturale vel diuinu, Minor probatur, quia Ecclesia constituit, vt sola professio Religionis approbata matrimonium irritet, cum tamẽ olim etiam professio Religionis non approbata irritarit. Nam approbatio illa primu caput esse necessaria circa annum Domini millesimum ducentisimum decimum quintum, quando magnum Conciliu Lateranense statuit, vt nulla Religio institueretur, nisi cum Sedis Apostolicæ approbatione; vt patet Capitulo *Neminia*, de Religiosis domibus: & tamen antea professio soluebat matrimonium; vt patet ex Capitulo *Verum*, de Conuersione coniugatorum, & ex exemplis allatis.

Aduertendum autem, hoc Ius esse valde antiquum, & videri ex Apostolica traditione descendere. Nam non inuenitur eius auctor. Nonnulla tamen in eo facta est variatio, vt dictum est.

DVBIVM VIII.

*Vtrum matrimonium ratu possit in aliquo alio casu solui per Ecclesia dispensationem?*

**R**espondeo: Posse, modo legitima causa subsit, quidquid dicat Sotus, & multi alij.

101  
Posse, v- tior senten- tia est.

Probatur Primò: Quia est communis sententia Canonistarum; vt docet Nauar. c. 22. n. 21. Idem tenet Caietanus Opus. 28. Siluester V. *Diuortium* q. 4. & plerique Doctores hac tempestate: quamuis ante annos LX. communior sententia Theologorum fuerit contraria.

Probatur Secundo: Quia Pontifices sæpè ob causas grauissimas in eo dispensarunt; vt referunt Antoninus 3. parte tit. 1. c. 21. §. 3. de Martino V. & Eugenio IV. & Nauarrus supra de Paulo III. & Pio IV. Non est autem credibile in re tanti momenti eos errasse: saltem nemo id nisi temerè dixerit.

Hhhh ij Probatur